



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus I. De Valore præscriptionis pro Foro Conscientiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus I.

### *De Valore præscriptionis pro foro Conscientiæ.*

**C**Ajus, postquam tempore à legibus assignato certum agrum bona constanter fide possedisset, & præscripsisset, intelligit eundem ad Titium pertinere: adit igitur Confessarium, & ex hoc

Quær. An non saltem in conscientia sit obligatus ad hunc legitime præscriptum agrum ipsi Titio restituendum?

### Synopsis.

1. Usucapio & præscriptio subinde in eodem, subinde in diverso sensu accipiuntur.
2. Præscriptio in foro externo parit exceptionem peremptoriam.

3. Traditur definitio præscriptionis.
4. Præscriptio etiam pro foro conscientiæ dominium transfert.
5. Eiusmodi præscribens non locupletatur cum injusto alterius damno.
6. Ex justæ legis dispositione sine alterius culpa aliquis suis rebûs privatur.
7. Præscriptio mala fide facta est impium præsidium.
8. Præscriptio non habet rationem pœnæ.
9. Sublato totali fine legis etiam hæc est sublata.
10. Finis præscriptionis est sublata incertitudo dominiorum.

11. Ut lex maneat, non debet manere finis illius adæquatus, si duplex finis non intendatur per modum unius.
12. Ut bona fides in præscriptione cesset, ante istam completam habenda est cognitio rei alienæ.
13. Lex præscriptionis est diversa à lege negante actionem læsi infra dimidium.
14. Dominium altum est virtualiter dominium proprietatis.
15. Vi præscriptionis absolute transfertur dominium.
16. Finis hujus legis fuit bonum commune.
17. Valor religiosæ professionis à solo vero consensu nascitur.
18. Tam mobilium, quam immobilium dominiū ope præscriptionis transfertur.

### Resolvitur Quæsitum.

**P**RO resolutione casus notandum, quòd præscriptio & usucapio subinde pro eodem, subinde pro diversis rebus accipiuntur. Primò enim nomine usucapionis intelligitur possessio quædam rei alienæ, unde dici-

mus usucapionem, id est, possessionem interrumpi: præscriptio verò est acquisitio domini vel alieni juris sive realis, sive personalis per continuationem temporis lege definiti: in hoc sensu usucapio est causa præscriptionis tanquam cujusdam effectus. Secundò, usucapio accipitur quidem etiam pro acquisitione alicujus domini, non secus ac ipsa præscriptio, cum hoc tamen discrimine, quòd acquisitio rerum mobilium vocetur usucapio: immobilium verò acquisitio præscriptio, ex quo etiam colligitur præscriptione non solum dominium cujusdam rei acquiri posse, sed etiam extingui actionem aliquam personalem vel realem alterius.

Not. 1. Præscriptionem in foro externo parere exceptionem, & quidem peremptoriam. Vocatur autem exceptio, quod apponitur ad excludendam actionem intentam ab actore: quod si id, quod adversario, seu actori opponitur actionem tibi intentatam solummodo differat, & retardet, non autem omnino fundamentum & intentionem

nem illius penitus neget, & annulet, vocatur dilatoria: peremptoria verò vocatur, si intentatam actoris actionem omnino tollat, impediátque, ita, ut nihil amplius adversus te in hoc puncto moveri possit.

Quòd autem præscriptio, uti modò diximus in foro externo exceptionem peremptoriam pariat, ita probatur.

Illa exceptio est peremptoria, quæ facit, ut actio reo intentata penitus tollatur, & cesset: atqui præscriptio hoc facit in foro externo: ergo &c. probatur m. si v. g. tempore & modo à legibus definitis possedi certum agrum: postea verò litem mihi super hoc agro tanquam suo moveat Titius, hanc illius actionem penitus tollere, atque extinguere possum opponendo præscriptionem: ergo &c. probatur m. Jus civile statuit, ut, si quis rem alienam debito tempore & modo possideat, ejus dominium irrevocabiliter aquirat, sitque deinde liber ab omni infestatione, actione, repetitione, & vindicatione prioris dominii: ergo opposita præscriptio intentatam talem actionem penitus tollit, & enervat. Hinc

Definitur descriptio L. 3. ff. *de Usucap. quòd sit adquisitio domini per continuationem temporis à lege definiti.* vel: est adquisitio domini continuatione possessionis tempore & modo à lege requisitis.

Modò itaque dubitatur, an præscriptione verè alicujus rei dominium acquiratur, ita, ut etiam in conscientia sit tutus retinendo ejusmodi rem modo & tempore à lege definitis præscriptam, ad quod dubium

Respondeo affirmativè, probatur autoritate D. Thomæ *quodlib. 12. q. 24.* & communi DD. Probatur 2. dò ratione. Princeps vel respublica habent talem potestatem, ut exigente bono publico possint dominium rerum ab uno subdito transferre in alterum: ex altera parte leges illæ, quæ de præscriptione, ac usucapione loquuntur, ita sonant, ut nobis indicent, habuisse legislatores, hoc est, supremos principes ac rempublicam voluntatem transferendi dominium per præscriptionem, in alium; insuper ipsum bonum commune exigat istam translationem: ergo rei legitimò modò ac tempore

A 2

præ-

præscriptæ aliquis fit verus Dominus, consequenter in conscientia rem debitè præscriptam retinere potest. Consequentia patet.

Antecedens verò probatur primò ex ipso consensu adversariorum, non abnegantiū hanc potestatem supremo Domino in bona subditorum competere. Prob. 2. dò supremo Principi aut reipublicæ competit dominium altum: insuper privatorum commoda sunt postponenda commo & utilitati publicæ atque communi: ergo si utilitas & bonum commune exigit, ut unius privati bona per translationem dominiū appropriet alteri privato, supremus Princeps ob suum dominium altum poterit illud facere.

Prob. nunc etiam alterum membrum asserens leges de præscriptione loquentes transferre dominium rei usucaptæ à priore in aliud dominium. *Lex 3. ff. de usurpat. & usucapionibus* definit usucapionem seu præscriptionem, quòd sit *aquisitio domini per continuationem possessionis tempore & modo à legibus definito.* textus iste præscriptionem ex-

pressè nominat acquisitionem domini: item in *institut. 8. de usucap.* dicitur, quòd per has dominia rerum aquirantur. Item *Leg. 1. ff. de usurpat. & usucap.* dicitur usucapionem fuisse indutam bono publico, ne diu & ferè semper essent incerta rerum dominia: ergo Lex ità vult per præscriptionem transferri dominium rerum, ut illa impleta non ampliùs incerta essent rerum dominia: atqui forent adhuc incerta, si præscriptio in foro interno non procederet, & obligatus in conscientia præscribens foret ad rem præscriptam priori domino restituendam.

Prob. idem secundum membrum 2. dò Leges Canonicae solum reprobant præscriptionem factam mala fide, ut constat ex cap. *vigilanti*, & cap. ultimo de *præscriptionibus*: ergo è contrario præscriptionem bona fide factam censetur Jus Canonicum approbare: ergo præscriptio etiam procedit in foro conscientia. Prob. conseq. Canones sacri præcipuè sunt facti pro conscientia, & huic consulere laborant, quando præscriptionem mala fide factam reprobant,

pro-

prout constat ex citato cap. ultimo de præscriptione: ergo si Sacri Canones approbant præscriptionem bona fide factam, valebit illa etiam in conscientia.

Restat modò probatio tertii membri asserentis utilitatem publicam & commune bonum exigere istam translationem domini. Bono publico expedit, ut rerum dominia non sint semper incerta, & quidem non solum in foro externo, sed etiam in conscientia, ergo expedit bono publico, ut per præscriptionem debitò modò & tempore factam transferantur dominia ab uno in alterum: probatur conseq. hæc translatio est optimum & maxime necessarium medium ad hoc, ut non maneant incerta rerum dominia: ergo, cum ista certitudo non daretur, nisi in conscientia etiam procederet præscriptio, etiam in conscientia procedet.

Prob. 2. dò. ut cives magnam ac debitam diligentiam adhibeant in custodiendis suis rebus, & in defendendis ac tuendis suis civibus, expedit communi bono: atqui ad hunc finem servit præscriptio in conscientia procedens: ergo &c.

Objic. 1. In regula Juris 48. in 6. habetur: quòd nemo locupletari debeat cum alterius jactura, sed hoc fieret, si valeret præscriptio in conscientia: ergo non valet. Resp. dist. M. nemo debet locupletari cum injusta alterius injuria conc. cum justa, & à legibus probata. nego.

Objic. 2. dò. videtur per se injustum, ut sine omni sua culpa rebùs suis privetur per factum alienum: sed hoc fieret: ergo, Resp. dist. maj. si nulla justæ legis dispositio accedat: conc. si tali facto accedat aliqua justæ legis dispositio, negatur maj. & sic distincta min. conseq.

Objic. 3. tiò. Imperator in 7 Novella 9. præscriptionem vocat impium præsidium & improbam temporis allegationem: ergo non procedit in conscientia. Resp. dist. ant. & loquitur de præscriptione mala fide facta, & tunc in foro externo erat valida: conced. & loquitur de præscriptione bona fide facta negatur.

Objic. 4. tò. ex cap. vigilantibus de præscripte. constat, quòd hæc introducta fuerit ad vitandam

segnitiem: ergo habet rationem pœnæ: ergo ubi nulla culpa ab aliquo & nulla segnities fuit commissa, ibi non habet locum præscriptio, quia pœna non datur, nisi præcesserit culpa. Resp. conced. ant. neg. conf. *Urgent.* præscriptio hoc modo habet rationem pœnæ, & pœna non datur, nisi præcesserit culpa: ergo ubi hæc non præcessit, neque datur pœna. Resp. neg. ant. non enim omne illud habet rationem pœnæ, quod ob segnitiem evitandam fuit intentum, potest enim tale etiam habere rationem cautelæ tantum.

9 Obijc. 5. to Præscriptio fuit inducta ad vitandam segnitiem, tanquam suum finem: ergo ubi non fuit commissa ulla segnities, non procedit præscriptio. Prob. conseq. sublato fine alicujus legis cessat etiam hæc ipsa lex: ergo si segnities evitanda fuit finis, si hæc non dabatur: neque dabitur lex attribuens præscribenti dominium talis rei. Resp. conced. antec. neg. conseq. in probatione dist. antec. sublato fine legis etiam hæc cessat, si finis totalis & adæquatus fuit sublatus talis legis conced. si tan-

tum partialis sublatus fuerit, nego antec. & dist. conseq. ergo si segnities fuit finis totalis & adæquatus, & hic non datur, tunc non datur illa lex, conced. conseq. si tantum fuit finis partialis, & alius partialis adhuc detur, neg. conseq.

*Urgent:* non potest assignari alius finis præter segnitiem evitandam: ergo nulla responsio. Resp. neg. antec. est enim præscriptio etiam instituta, ne dominia forent vel semper vel longissimo tempore semper incerta.

*Urgent:* gratis dicitur, quod etiam ob hunc finem fuerit instituta. Resp. neg. ant. habetur enim in cap. *vigilanti* ubi dicitur præscriptionem primitus institutam fuisse propter vitandam segnitiem, & longi temporis errorem, & confusionem, hoc est, ad vitandam ignorantiam, vel errorem, aut saltem incertitudinem longam vel perpetuam de dominio rerum.

Item *Lex 1. ff. de usurpat. & usucap.* solus hic posterior finis exprimitur, evitatio scilicet incertitudinis cum dominio rerum.

Dices, licet ponatur utrum-que hoc pro fine præscriptionis fuit.

fuisse intentum, & non sola evitatio negligentia; si autem negligentia nulla præcessit, non habet locum præscriptio. Prob. antec. si nulla negligentia præcessit, licet detur adhuc alter finis, tamen non datur finis adæquatus, propter quem præscriptio fuit inducta: ergo non valet præscriptio. Prob. conseq. ut valeat, debet adesse finis adæquatus præscriptionis: ergo si finis adæquatus non datur, non valebit præscriptio. Prob. ant. bonum ex integra causa, & malum ex quolibet defectu. Resp. neg. ant. in probatione conc. ant. neg. conseq. in probatione dist. ant. ut valeat præscriptio, debet adesse finis adæquatus, si iste duplex finis per modum unius complexi fuerit intentus, vel unus dependenter ab altero conced. si non fuerit ita intentus neg. ant. & conseq. quod non fuerit per modum unius complexi intentus uterque finis patet ex *Leg. cit. r. ff. de usurpat. & usucap.* ubi pro fine præscriptionis sola incertitudo domini affertur.

12 Obijc. 6. tō Fundamentum præscriptionis est bona fides:

ergo, quando hæc cessat, etiam cessat præscriptio. Sed bona fides cessat, quando possessor cognoscit, rem fuisse alterius: ergo tunc non amplius valet præscriptio. Resp. conced. totum primum enthymema, & dist. antec. subsumpti: sed bona fides cessat, si possessor ante completam præscriptionem cognoscit rem à se possessam esse alterius, conced. si post illam completam id agnoscat neg. antec. & conseq. tunc enim possessor optima fide & non mala rem talem possidet.

Obijc. 7. Præscriptio videtur se habere sicut lex negans actionem læso infra dimidium justis, sed hoc non liberat lædentem ab obligatione naturali in conscientia: ergo nec præscriptio. Resp. disparitatem esse, quod lex nunquam dicat, quod lædens aquirat dominium, prout dicitur in præscriptione.

Obijc. 8. Dominium altum, quod habet respublica in bona subditorum non est dominium proprietatis, sed jurisdictionis tantum, ergo respublica non habet potestatem transferendi dominium rei præscriptæ ab hoc  
in



in præscribentem. Prob. antec. illud dominium altum reipublicæ non involvit jus proprietatis in bona subditorum, ergo non est dominium proprietatis: consequentia probatur: omne dominium proprietatis necessario involvit jus proprietatis: ergo si hoc non involvit, non habet dominium proprietatis. Prob. ant. illud dominium altum tribuunt reipublicæ ipsi subditi per justitiam legalem: ergo non est dominium proprietatis. Probat-ur nunc prima consequentia, nemo potest in alterum transferre aliquid, quod ipse non habet, nec plus, quam ipse habeat: ergo si reipublica, & illius dominium altum non habet dominium proprietatis in bona subditorum, non poterit hoc dominium transferre in præscribentem.

Respondetur retorquendo argumentum in casu, quo reipublica in necessitate gravi res subditi vendendo transfert talis rei dominium ab uno in vendentem.

Retorqueo 2. d. in privato ob extremam necessitatem sibi appropriantem res alterius; talis

non habet dominium in ejusmodi rem, quia non posset hanc donare aliis, aut in flumen projicere, sed præcisè illâ uti potest, quantum extrema necessitas exigit.

Resp. 3. t. d. in forma. dist. antec. dominium altum non est formaliter dominium proprietatis conced. non est eminenter & causaliter tale dominium neg. ant. & conseq. Resp. 2. d. dist. aliter. Dominium altum non est formaliter dominium proprietatis conc. non est virtualiter dominium proprietatis in bona subditorum neg. Respublica per leges præscriptionem approbantes potest transferre dominium in virtute illius domini proprietatis, quod quilibet subditorum habet in sua bona, & vi cujus horum singuli, dum reipublicæ membra esse volunt, eidem saltem tacitè dant virtutem, seu potestatem hanc in sua bona, ut possit illorum dominium plenum in alios per leges justas transferre, quando id bonum publicum postulavit.

Objc. 9. n. d. Qui scit rem ali-  
quam sibi adjudicatam à Judice  
fuisse ex fundamento, aut præ-  
sum-

sumptione falsa, non potest talem rem licite retinere: ergo etiam, qui præscripsit rem aliquam, quin commissa fuerit à priore domino aliqua negligentia, non potest illam rem retinere: antec. probatur. Judex non attribuit dominium absolute, sed tantum conditionate, si vera sint allegata, non enim jus novum condit, sed antiquum declarat: ergo si fundamentum est nullum, etiam sententia erit nulla. Probatur nunc etiam prior consequentia: Lex addicens præscribenti rem præscriptam etiam tantum conditionate hanc illi addicit: ergo non potest in tali casu retinere. Prob. conseq. ideo in priori casu non potest retinere, quia conditionate addicit, & conditio non fuit impleta: sed hoc fit etiam in præscriptione. Resp. neg. min. ultimam, nam absolute, & non tantum conditionate transfertur dominium per præscriptionem.

16 Objic. 10. Pro foro conscientie cessat finis legum præscriptionis: ergo pro foro hoc non procedunt. Prob. antec. finis fuit minuere lites in tribunalibus,

sed hic cessat in foro conscientie. Resp. neg. antec. uti & ant. in hujus probatione. Nam finis fuit bonum commune, ne diu incerta sint rerum dominia, & inde etiam in conscientia possessores inquietentur litibus.

Objic. 11. Qui nulliter professus fuit, & intra primum quinquennium contra nullitatem non reclamavit, in foro solum externo habetur pro vero professo: ergo etiam in foro solum externo habebitur dominus rei præscriptæ. Resp. neg. conseq. disparitas est, quod in professione valor in foro interno nascatur solum vero consensu: ergo ubi hic deest, non datur valor in foro interno, cum illum consensum internum in ordine ad valorem in foro interno nulla potestas publica supplere possit. Econtra in translatione dominiorum respublica habet jus altum, ergo in bonis sine consensu dominorum potest disponere ob bonum commune.

Potest dici, quod solum rerum mobilium dominium acquiratur, immobilium vero duntaxat dominium utile, quia dicitur in cive, quod post longi temporis

B

præ-

prescriptionem etiam utilem actionem habere debeat. *Lege si duo Patroni §. 1. ff. de iurejurando.* Resp. neg. quia universaliter jura loquuntur. Secundo quia sub nomine domini potius venit dominium directum,

quam utile. *Leg. 1. §. qui in perpetuum. ff. si ager vectigalis, vel emphiteuticalis peratur.* Tertio, In argumento adversariorum fit mentio de actione utili, quia materia subjecta id exigit.



## Casus II.

### *De bona fide ad prescriptionem necessaria.*

**P**etrus casu invenit aureum anulum, quem scit esse Caji vicini sui, hac tamen scientia non obstante retinet illum. Idem licet sciret se non habere ullum jus ad pascendos suos boves in vicini sui prato, incipit tamen, & continuat illos pascere. Cum autem ipsemet Petrus obligatus esset, ut vicini sui bobus pastum in suis agris concederet, hunc tamen eidem permittere recusat, suae obligationis optimè conscius.

Quær. Utrum in his omnibus Petrus præscripserit, si requisito à juribus tempore hæc facere continuaverit?

### Synopsis.

1. Præscriptio ad duplicem finem tendit.
2. An, & qualis bona fides toto tempore possessionis sit necessaria?
3. Fides, cum qua res possidetur, mala, vel bona potest esse.
4. Error, cum quo noscitur res esse aliena, est, vel non est in conscientia inculpabilis.
5. Ad omnem præscriptionem requiritur fides Theologicè bona.
6. Ad veram ac propriè dictam possessionem requiritur fides positivè bona.